



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs Primvs. Vtrum donum sit nomen personale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

ras, siue efficientiæ earum, non tantum ex parte A rerum effectuarum sed etiam ex parte ipsius efficientis. Secundum non est ratio producendi, sed proprietas individualis talis processionis, & forma constitutiva talis personæ procedentis, nimirum Spiritus S. Tertium autem est id, quod est ratio producendi, siue ratio efficientiæ ex parte rerum effectuarum, non ex parte efficientis; nam actus essentialis in processione clausus, & si concipi possit ad modum egredientis ab agente, non est tamen realiter egrediens, sed idem realiter quod ipsum agens: eo modo, quo in diuinis essentia idem est, quod persona. Et ideo talis actus non est processio realis, sed ipsa processio passiuè sumpta realiter est egrediens, & consequenter est & dicitur realis. Et quia quod est primum in aliquo genere, causa est ceterorum eiusdem generis: idcirco processio realis amoris in Deo, quæ prima est in genere processionum, quæ ex Deo sunt per actum voluntatis & amoris, causa est illarum omnium, quasi ad modum vniuoci: non ex parte efficientis, ob supra dictam causam; quia scilicet dependentiam haberent causalitatis formalis Pater & Filius à Spiritu S. & eius processione; igitur est earum causa tantum ex parte rerum effectuarum: non ut efficiens propriè sed ut efficiendi ratio; ex parte tamen rerum effectuarum, & ut origo & ut exemplar. Quamuis enim absolute ratio efficiendi sit essentia, ratio tamen efficiendi tali modo, siue secundum talem rationem scilicet ut processio respectu processionum ad extra, quasi ad modum vniuoci propria est diuinæ processionis, secundum quam procedit amor personalis, in quo est ratio omnis amabilis, & ipsa est etiam exemplar omnis processionis creaturarum à Deo: non solum ratione amoris essentialis inclusi, sed etiam ratione clausæ relationis. Nam sicut de diuina paternitate dicitur Eph. 3. ex qua omnis paternitas in celo, & in terra nominatur: ita dici posset de filiatione, & de amore procedente, & de generatione amoris processionem, ex diuina scilicet filiatione, amore, generatione & amoris processionem omnem in terra nominari filiationem, amorem, generationem & processionem amoris. Ad arg. igitur respondeo, in Spiritu Sancto & eius processionem non attendi solam appropriationem, sed propriam etiam rationem realis processionis, ut realis processio est. Vnde falsum est antecedens. Ad cuius probationem iam dictum est essentiam esse rationem efficiendi absolute: processionem autem esse rationem efficiendi tali modo siue ratione, ad modum scilicet agentis vniuoci, ut scilicet processio realis sit causa processionis realis. Non est autem realis in Deo processio sine relatione: immò relatio ad modum actionis siue passionis significata est ipsa processio, ut ait S. D. infra q. 41. a. 1. & alibi. Secundò dico, supposita in Deo personarum pluralitate, eam per se pertinere ad principium creaturarum; quauis absolute loquendo, in conceptu primæ causæ ut sic, non includatur pluralitas suppositorum.

CONTRA secundam conclusionem sunt argumenta Suarez. superius tacta & soluta.

QVAESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum, in duos articulos diuisa.

Consequenter quaritur de dono.
Et circa hoc queruntur duo.

Primo, Vtrum donum possit esse nomen personale.

Secundo, Vtrum sit proprium Spiritus Sancti.

Ordo articulorum huius questionis.

CLARVS est duorum huius questionis articulorum ordo. Prius enim quaritur id, quod est commune doni prædicatum: an scilicet possit esse nomen personale? deinde quod speciale est, inuestigatur: an scilicet sit proprium nomen Spiritus Sancti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum donum sit nomen personale.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit nomen personale. Omne enim nomen personale, importat aliquam distinctionem in diuinis. Sed nomen doni non importat aliquam distinctionem in diuinis. Dicit enim Augustinus * 15. de Trinit. quod Spiritus sanctus ita datur, sicut Dei donum, ut etiam seipsum det, sicut Deus. Ergo donum non est nomen personale.

2. Præterea. Nullum nomen personale conuenit essentie diuinæ. Sed essentia diuinæ est donum, quod pater dat filio, ut patet per Hyl. * 8. de Trin. ergo donum non est nomen personale.

3. Præterea. Secundum Dam. † nihil est subiectum, aut seruens in diuinis personis. Sed donum importat quandam subiectionem, & ad eum cui datur, & ad eum à quo datur. Ergo donum non est nomen personale.

4. Præterea. Donum importat respectum ad creaturam. Et ita videtur de Deo dici ex tempore. Sed nomina personalia dicuntur de Deo ab æterno, ut pater & filius. Ergo donum non est nomen personale.

Sed contra est, quod August. * dicit 15. de Trin. Si- cut corpus carnis, nihil aliud est, quam caro: sic donum Spiritus sancti nihil aliud est quam Spiritus sanctus. Sed Spiritus sanctus est nomen personale. Ergo & donum.

Respond. Dicendum, quod in nomine doni importatur aptitudo ad hoc, quod donetur. Quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, & ad id à quo datur, & ad id cui datur. Non enim daretur ab aliquo nisi esset eius, & ad hoc alicui datur, ut eius sit. Persona autem diuina dicitur esse alicuius, vel secundum originem, sicut filius est pater, vel in quantum ab aliquo habetur. Habere autem dicimur id, quo libere possumus vri vel frui, e ut volumus. Et per hunc modum diuina persona non potest haberi, nisi à rationali creatura Deo coniuncta. Aliæ autem creature moueri quidem possunt à diuina persona, non tamen sic, quod in potestate earum sit frui diuina persona, & ut effectus eius. Ad quod quandoque pertingit rationalis creatura, ut puta cum sit particeps diuini verbi, & procedentis amaris, ut possit liberè Deum vere cognoscere, & rectè amare. Vnde sola creatura rationalis potest habere diuinam personam. Sed ad hoc, quod sic eam habeat, non potest pro-

propria virtute peruenire. Vnde oportet, quod hoc ei desuper detur. Hoc enim dari nobis dicitur, quod aliunde habemus. Et sic diuina persona competit dari, & esse donum.

Ad Primum ergo dicendum, quod nomen doni importat distinctionem personalem, secundum quod donum dicitur esse alicuius per originem. Et tamen Spiritus sanctus dat seipsum, in quantum est superius, ut potens se vti, vel potius frui, sicut & homo liber dicitur esse superius. Et hoc est, quod Augustinus dicit super Ioannem. Quid tam tuum est quam tu? Vel dicendum, & melius, quod donum oportet esse aliquo modo dantis. Sed hoc esse huius, dicitur multipliciter. Vno modo per modum identitatis, sicut dicit Augustinus super Ioannem. & sic donum non distinguitur a dante: sed ab eo cui datur. & sic dicitur, quod Spiritus sanctus dat se. Alio modo dicitur aliquid esse alicuius, ut possessio vel seruus. Et sic oportet, quod donum essentialiter distinguatur a dante: & sic donum Dei est aliquid creatum. Tercio modo dicitur hoc esse huius per originem tantum. & sic filius est patris, & Spiritus sanctus vtriusque. In quantum ergo donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur a dante personaliter, & est nomen personale.

Ad Secundum dicendum, quod essentia dicitur esse donum patris, primo modo, quia essentia est patris per modum identitatis.

Ad Tertium dicendum, quod donum secundum quod est nomen personale in diuinis, non importat subiectionem: sed originem tantum in comparatione ad dantem. In comparatione vero ad eum, cui datur, importat liberum usum vel fructum, ut dictum est.

En cor. ar. 1.

Ad quartum dicendum, quod donum non dicitur ex eo, quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem, ut possit dari. Vnde ab eterno diuina persona dicitur donum, licet ex tempore detur. Nec tamen per hoc, quod importatur respectus ad creaturam, oportet quod sit essentialiter: sed quod aliquid essentialiter in suo intellectu includatur, sicut essentia includitur in intellectu persona, ut supra dictum est.

g. 29. art. 4.

q. 34. a.

B ad. 1.

Sensus quaestio.

TITVLVM explicat Caiet. ex littera D. Th. quem sequitur Sylu. Iauel. & Zum. Ad cuius ampliorem intelligentiam scito nomen doni in sacris litteris & Patribus quandoque dici de essentia, quam Pater donat Filio vel nobis, iuxta illud Ioan. 10. Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est: & Hilarius 8. de Trinit. ait essentiam diuinam esse donum, quod Pater dat Filio, quamuis minus propria sit locutio. Dicitur etiam donum de Filio, quem in redemptorem donauit nobis Pater Ioannis 4. Si scires donum Dei, & quis est, &c. Dicitur etiam de Spiritu S. Act. 8. Quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri. & cap. 2. Accipietis donum Spiritus S. Et Ecclesia vocat Spiritum S. Donum Dei altissimi. Ex quo sequitur nomen doni ex propria & naturali sua significatione non esse nomen personale, sed ambiguum siue commune ad essentialiter & personale. Et ideo bene S. D. in introductione quaestiois proponit querendum: An donum possit esse nomen personale; id est, an sumi possit aliquando ut nomen

persona-
le?

Forma Textus.

CONCL. est Diuina persona conuenit esse donum, & dari. Probat. Ratio doni tres postulat conditiones. Prima ut sit alicuius ut donatoris. Secunda ut possit haberi ab eo, cui est donabile. Tertia ut sit supra vires illius, id est non debitum illi. At diuina persona conueniunt haec tres conditiones; ergo &c. Maior probatur, quo ad duas primas partes seu conditiones; quia in nomine doni importatur aptitudo ad hoc, ut donetur: ad quod donatur, habet aptitudinem vel habitudinem ad id, a quo donatur & ad id cui donatur; ergo &c. Quo ad tertiam autem probatur; quia hoc dari nobis dicitur, quod aliunde habemus. Minor autem probatur quo ad primam partem; quia filius est alicuius per originem, scilicet Patris; quo ad secundam vero; quia rationalis creatura sola potest frui diuina persona, & uti eius effectu; ergo persona diuina non potest haberi nisi a rationali creatura Deo coniuncta. Consequentia probatur; quia id dicimus habere, quod liberè possumus uti vel frui. Antecedens probatur ex differentia inter rationalem creaturam & alias; quoniam aliae creaturae moueri quidem possunt a diuina persona, non tamen sic ut in potestate earum sit frui diuina persona & uti eius effectu. Rationalis autem creatura ad hoc quandoque pertingit, ut puta cum sit particeps diuini verbi & procedentis amoris, ut possit liberè Deum verè cognoscere & rectè amare; ergo sola creatura rationalis potest habere diuinam personam. Tertia verò conditio probatur. Ad hoc ut rationalis creatura sic habeat diuinam personam, non potest propria virtute peruenire; ergo oportet ut hoc ei desuper detur.

Expositio Textus.

EX tribus doni conditionibus in maiori positis, & breui quadam diffinitione Aristotelis relata a D. Thoma in artic. sequenti colligitur completa doni diffinitio, videlicet: Donum est res alicuius, qui eam alteri confert, aut conferre potest liberaliter, ut ea liberè valeat uti vel frui. Prima particula est, ut sit res alicuius, quae explicat Sancti. D. in respons. ad 1. argum. distinguens tres modos quibus aliquid potest esse alicuius, scilicet per modum identitatis, per modum possessionis & per originem; quibus Zumellus addit quartum quod scilicet donum est alicuius, qui liberam habet facultatem eo utendi vel fruendi. Sed hic modus non pertinet ad primam, sed ad ultimam diffinitionis particulam. Ex primo modo habet deitas siue Deus, ut sit donum a seipso donabile: & eadem ratione qualibet persona sit donum a seipsa donabile: quia deitas & Deus, & qualibet persona est superius per identitatem. Ex secundo gratia, charitas, habitus infusi & reliquae perfectiones creatae gratis a Deo nobis collatae dona Dei sunt. Ex tertio persona procedentes, nempe Filius & Spiritus sanctus sunt verè & proprie dona, accedentibus reliquis conditionibus.

Secunda particula est qui eam alteri confert aut conferre potest qua distinguitur donum a dato; quia de ratione dati est, ut alteri tuerit actum collatum: sed de ratione doni est aptitudo tantum ad hoc ut donetur, ut ait Aug. lib. 5. de Trinit. & post eum Magister: sed D. Th. in 1. dist. 15.

Colligitur
& explicatur
doni diffinitio;
& ostenditur
essentiam
& conferre potest
liberaliter, ut ea
liberè valeat
uti vel frui
personae esse
proprie dona.

v. 4.

g. m.

q. unica, a. 2. duas alias notat differentias, quas hic refert Zum.

A sunt præcipue Torres, Zum. & Suar. in dicto 4. & D. Th. in primo.

Neque est
cia. neque
persona di-
vina est do-
num alteri
personæ do-
natum.

Tertia particula est liberaliter quam solam exprimit diffinitio Arist. relata à D. Thom. in art. seq. ex 4. Top. cap. 4. cum dixit, donum esse dationem irredibilem, id est merè gratuitam ac liberalem, sine spereretributionis. Ex qua sequitur neque diuinam essentiam, neque personam aliquam diuinam esse donum propriè loquendo, quod alteri personæ diuinæ donetur. Nam quod vna persona communicat alteri, id naturaliter & necessariò communicat & non liberè. Quod etiam aduertit Magister diff. 18. Quo fit vt Hilarij dictum à S. Th. relatum in responsione ad 1. argum. fit acceptandum vt minus proprium, vt notant hinc expolitores communi-
ter.

Vltima particula est, vt ea libere valeat vti vel frui, quam explicat S. D. in textu ex differentia inter rationalem creaturam, & alias quo ad habere diuinam personam. Sed extendenda est hæc differentia ad quamlibet rem ab altero collatam; nulla siquidem res rationem habet doni, nisi in ordine ad rationalem creaturam, à qua sola verè & propriè potest haberi; quia scilicet sola rationalis creatura potest re sibi collata liberè vti vel frui, vt habetur in 1. 2. q. 15. & 16.

Ex hac tota diffinitione sic explicata sequitur primò tria claudi in ratione doni, scilicet re donabilem quæ denominatur donum: habitudinem ad id à quo datur, id est ad donatorem; & respectum ad eum cui datur, vt habetur in textu & explicat Cai. a. seq. Secundo sequitur diuinam essentiam & singulas personas ab æterno habere rationem doni: cum ab æterno habeant aptitudinem vt donentur. Tertiò sequitur non solum Spiritum S. sed etiam essentiam & Patrem & Filium, propriè dici donum: cum eis conueniat tota doni diffinitio. Quare Zum. non benè dixit, soli Spiritui S. propriè congruere rationem doni: & si verum sit speciali quadam ratione Spiritui S. conuenire nomen doni, vt apparet ex articulo sequenti. Quarto sequitur donum pluribus modis de Deo dici. Primò essentialiter siue absolute. Nam ratio doni prout dicit rem donabilem & prædictam duplicem habitudinem, scilicet ad donatorem, & ad eum cui donari potest, communis est tribus personis & essentia. Conuenit enim primò deitati communicari per gratiam & gloriam rationali siue intellectualem creaturæ: personis autem consequenter. Relatio verò ad donatorem, vt scilicet ipsius sit res donabilis, personis omnibus & essentia congruit, quamuis diuerso modo vt patet ex declaratione primæ particulae diffinitionis doni. Respectus autem ad eum cui donari potest, constat ex declaratione vltimæ particulae & ex littera huius articuli. Secundo dicitur de Deo donum quasi notionaliter, quatenus scilicet donum significat id, quod donantis est per originem, quæ ad notionem pertinet. Et sic de duabus tantum personis procedentibus dici potest scilicet Filio & Spiritu sancto, nam Pater nullus est per originem: Filius autem per generationem est Patris: & Spiritus sanctus per inspirationem passiuam est Patris & Filij. Denique dicitur donum in Deo personaliter de Spiritu sancto, quatenus amor est cui conuenit ratio primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur, vt ait S. D. in articulo sequenti.

Postremò aduerte singula prædicta latius hic ab interpretibus explicari, ex quibus legendi

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit proprium nomen Spiritus sancti. Donum enim dicitur ex eo, quod datur. Sed sicut dicitur Isai. 9. Filius datus est nobis: ergo esse donum conuenit filio, sicut Spiritui sancto.

2 Præterea. Omne nomen proprium alicuius personæ, significat aliquam eius proprietatem: sed hoc nomen donum non significat proprietatem aliquam Spiritus sancti. Ergo donum non proprium nomen Spiritus sancti.

3 Præterea. Spiritus sanctus potest dici spiritus alicuius hominis: sed non potest dici donum alicuius hominis: sed solum donum Dei. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

Sed contra est, quod August. dicit in 4. de Trinit. li. 4. deo. Sicut natum esse est filio à patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse, est à patre, & filio procedere. Sed spiritus sanctus sortitur proprium nomen, in quantum procedit à patre, & filio. Ergo & donum est proprium nomen Spiritus sancti.

Respondeo. Dicendum, quod donum secundum, quod personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quod donum propriè est datio irredibilis, secundum Philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis. & sic importat gratuitam dationem. Ratio autem gratiæ donationis, est amor: ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, est amor quo volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus sanctus procedat, vt amor (sicut iam dictum est) procedit in ratione doni primi. Vnde dicit Aug. 15. de Trin. quod per donum, quod est Spiritus sanctus, multa à propria dona diuidentur membris Christi.

Ad Primum ergo dicendum, quod sicut filius, qui procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet, quod sit similitudo sui principij, dicitur propriè imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis patri: ita etiam Spiritus sanctus, quia à patre procedit, vt amor, dicitur propriè donum, licet etiam filius detur. Hoc enim ipsam, quod filius datur, est ex patris amore, secundum illud 1. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Ad Secundum dicendum, quod in nomine doni importatur, quod sit dantis per originem. Et sic importatur proprietas originis Spiritus sancti, quæ est processio.

Ad Tertium dicendum, quod donum antequam detur, est tantum dantis: sed postquam datur, est eius cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non potest dici, quod sit donum hominis: sed donum Dei dantis. e

Cum autem iam datum est, tunc hominis est, vel Spiritus, vel datum.

Sen-